particulari et determinata per venas aliquas
vel arterias aut alias vias paten-
tes sicut mamillis ventosas apponimus
cum menstrua retinere volumus ¶ Secunda consi-
deratio est rectitudo diversionis. Cum enim
materiam trahimus debemus illam secundum recti-
tudinem trahere propter maiorem tractus
facilitatem. Sicut cum materia est in epate
flebotomamus basilicam dextram et cum
est in splene sinistram. Et hec consideratio
est regularis in quibusdam tamen casibus
servanda non est. Unde aliquando necessarium est
non rectitudinem considerare sed maiorem
distantiam querere et adducere ad contrariam
dyametrum ¶ Et hoc maxime quando ple-
nitudo esset magna in toto aut quando
secundum rectam dyametrum fieret transitus
materie male super principale ¶ Tertia conside-
ratio est elongatio diversionis ut membrum
ut membrum ad quod trahitur materia
non sit nimium propinquum ei a quo tra-
hitur sed ab eo aliqualiter sit distans
et remotum. Et ista contraria et remoto per
tertiam considerationem dicimus debere esse secundum rec-
titudinem. Et subdit autem cum volumus ma-
teriam ad diversum trahere observanda du-
as causas primus est quod si membrum a quo
volumus materiam trahere ad diversum habuit
dolorem tunc antequam trahas seda prius
illum dolorem non intelligens de dolo-
re debili vel moderato tollerabili
quoniam non est necessarium prius hunc talem seda-
re dolorem vero ut sedetur debet fieri
diversio sed intelligens de dolore
difficiliter nimium tollerabili cum quo
tamen stat virtus. Et causa est quoniam talis
dolor si diversio levis fiat plus erit
quod attrahit quam quod divertis quoniam
nihil proficeres. Si autem diversio fiat
evacuativa fortis cum ille vehemens do-
lor significet nimiam esse materiam causan-
tem ipsum erit evacuatio magna et per consequens
fallax et magna similitudinia et regu-
lariter non facienda a medico in mult
ypo. in afforismis in evacuantibus ad summum
quia prius debes sedare dolorem
Et nota diligenter debes sedare et non
movere et ut omnem modum mitigationis
ms comprehendet sive per anodyna appropria-
tione sive per declarationem causatum sive nar-
coticorum administrationem aliquando tamen irregu-
lariter operans medicus adversionem
evacuativam forti incipiet vel saltem non ex-
spectabit donec dolor mitigetur.
Et hoc quando propter vehementiam doloris
timet de casu virtutis vel morte. Et
tunc maxime quando per sedantia dolorem
dolor non mitigaretur in tali enim
casu propter maius periculum evitandum

exponit se medicus periculo incipit
ab evacuatione forti primo et usque ad syncopim
primum ut voluit Gal. in commento afforismorum
eorum que egeruntur 2^o tamen est quod in
diversione cavere sibi debet medicus ut
transitus fiat super principale ita quod re-
maneat in eo et figeretur ibi tanquam
in termino ad quem. Sed si materia fuit
benigna ipsa potest trahi super principa-
le tanquam ipsa sit via et transitus ip-
sius materie ad loca evacuationum. Si vero materia
sit corrupta non tamen venenosa nec fu-
riosa potest permitti transitus ad loca
evacuationis excepto corde super quod
nullo modo materia corrupta duci debet
et maxime quando est alia melior ea
via. Nec mirum cum natura regulariter
operans frequenter hoc in crisibus fa-
ciat facit enim materias transire per venas
cerebri in crisi per fluxum sanguinis
narium. Et facit similiter eam transire per
venas epatis in fluxu ventris vel
vomitu. Et si dicatur et per hoc licet
communiter. Nam medici in cura pleuresis
dextre docent facere flebotomiam ex parte sinistra
versus cor dicendum est quod medici non
faciunt illam flebotomiam ratione materie corrupte con-
tente in apostemate pleuretico sed ratione
materie contentis in venis contente non de cor-
rupte que parata est cum ipsa fluere et
corrumpi. Sed materia furiosa vel venenosa
nunquam debet trahi a medico super ali-
quod principalium etiam tanquam per viam
transitus ne tanquam ad terminum eo quod
esset tam maior periculi cum talis materia
non possit a natura regulari nec ab arte quare
timor esset in principali removeri. Et
mortem inducet quare omnem talem motum
medicus prohibere debet in quantum potest. Re-
bus autem significatibus sua convenientia
et aptitudine super electione quantitatis
medicine fortis aut non sed potius
dissentiunt et prohibent ¶ Si itaque
egritudo debere indicat de medicina
forti et ille res consentiunt tunc secure
administramus. Si vero dissentiunt de-
sistemus. Et si quedam consentiunt et quedam
non tunc medicinam probabimus via medi-
cinam fortem debilem facientes. Si itaque
etas iuventutis fuit securius medicinam
fortem administrabimus. Si vero etas
fuit senectutis illa renuemus propter virtutis
Et si sexus fuit virilis securius fortem
adhibemus medicinam non autem sic femine
Et si corpus fuit assuetum fortes sufferre
medicinas secure eas ei administrabimus
et renuemus eas in insuetis ¶ Corpus quo-
que si fuit ex eis que artificio corpus preparat
ad maiorem passibilitatem fortem

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs224/0112
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg